

gelicis sunt testati : nunquam profectò hoc factu-
ri, si vel minima suspicione Cingliani dogmatis
ipsorum laborare Confessio visa fuisset.

7. Hac accedit, quòd præcipui Scriptores Pon-
tificij, qui certè tum temporis dogma Cinglia-
num cane & angue pejus oderunt, non modò in
ipsis Comitijs, verum etiam annis insequentibus,
Articulo huic nostro veritatis ac sinceritatis lau-
dem disertè ac publicè tribuerunt : haud obscure
hoc ipso fatentes, à Cingliana heresi ipsum esse
alienissimum.

8. Anno 30. in ipsis Comitijs, Consutatores
hanc de Articulo isto tulerunt ἐπιχειρισιν : In ter-
tio Articulo nihil est, quod offendat, cum
tota Confessio cum symbolo Apostolo-
rum, & cum certa fidei regula conveniat.

Andr. Fabritius, Harmonia Conf. Aug. pag.
32. Chytr. hist. A. C. p. 175.

Cælestinus. Tom. 3. hist. A. C. p. 2.

9. Anno 35. Iohannes à Daventria, Monachus
alioqui longe impudentissimus, idem pleno ore est In exeg.
confessus ; Tertium, inquiens Articulum à veritat.
Catholica Ecclesia sunt mutuati, (scilicet
Protestantes) qui & impollutus est. vide Har.
Fabr. pag, 32. b.

10. Anno 1541. Ioannes Cochleus disertè scri- In discuss.
psit ; De hoc Arciculo, neque in Confessio- Conf.
ne, neque in Apologia, ulla est discordia in-
ter nos & illos. Harm. Fabr. ibid.

O 4

His